

considerationis instante, cui radicem elaboras posterius fuerit. Si uero prius fuerit, dictę distantię addas hęc mo-

tum medium argumenti, & abiectis integris, si quę excreuerint reuolutionibus, habebis radicem cupitam.

Libri noni Epitomatis finis.

CL. PTOLEMAEI

ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO, VENERIS

Theoricam, Martisq; omnimodam subtilissimę percunctari: Trium item superiorum Theoricę speculationis partem non minimam accuratissimę, coniectatur,

Liber

X.

Diameter eccentrici Veneris per longitudinem longiorem eius, atq; propiorem transiens, quibus in punctis eclipticam secet experiri. Propositio I.



NON aliter q̄ in Mercurio inuestigandū est. Cōsiderabimus em̄ duo loca Solis media, Venerē maximas & inter se æquales à loco Solis medio longitudines contrarias habente. Nam punctus inter hæc loca Solis medians, cum pūcto sibi diametraliter opposito erunt, quos quærimus. ¶ In anno aut̄ 16. Adriani 21. diebus mensis Phormuth octauī transactis cōsiderauit Taion, ut refert Ptolemæus, stellā Veneris iam in maxima lōgitudine uespertina à loco Solis medio constitutam, & uidebatur præcedere mediā Pleiadū quantitate longitudinis Pleiadum. Fuit itaq; secundum numerationē Ptolemæi Venus in 1. grad. 30. min. Tauri. Solis autem locus medius tunc erat in 14. partibus & 15. min. Piscium. Quare longitudo uespertina maior erat 47. partium, & 15. minut. Deinde in anno 4. Antonij 11. dieb. mēsis Thoth transactis, in mane diei duodecimę Ptolemæus cōsiderauit stellam Veneris distantem à stella fixa, quę est in genu

sinistro Gemini sequentis, per quartam partem gradus ferē uersus Orientem & Septentrionem. Fuit ergo locus Veneris in 18. partibus & 30. min. Geminorum. Solis autem locus medius tunc erat in 5. grad. 45. minut. Leonis, quare longitudo matutina fuit maxima 47. grad. 15. minut. Dum autem arcum duobus Solis medijs locis interceptum dimidiabimus, ad finem 25. grad. Tauri perueniemus. Quare longitudo longior & propior in 25. grad. Tauri, & 25. grad. Scorpionis erunt, quod inuestigauimus. ¶ Idem per alias duas confirmabimus obseruationes. Taion ille in anno quarto Adriani 19. diebus mensis Atus tertij transactis, in mane diei uicesimi, cōsiderauit Venerem distantem à stella fixa, quę est in extremitate a meridiane Virgini, secundum quantitatem longitudinis Pleiadum, dempto fortasse arcu, cui ipsamet stella Veneris subtenditur. Videbatur enim Venus uersus meridiem distare à dicta stella secundum quantitatem diametri Lunaris. Et quia secundū numerationē Ptolemæi, hæc stella in quarto anno Adriani fuit in

Q 3 28. grad.